



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

De Simonia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

cis non soluere, nisi intercesserit iuramentum de soluendo: tunc enim debet prius absolui à iuramento. Qua etiam in re videndum est, an sint aliquæ leges particularares in hoc, vel illo regno.

§ Ludere cum imperitiori notabiliter, ita vt moraliter certus sit peritior de victoria; non licet, & est obligatio ad restituendum: nisi imperitia aliunde suppleretur. Agunt de Ludo *Azor. to. 3. c. 24.* & *Filliuc. to. 2. tr. 37. c. 5.* *Bonac. tom. 2. de contract. quest. 3. par. 1.*

DE SIMONIA.

1 **S**imonia est voluntaria emptio, vel venditio, aut quouis modo commutatio rei sacræ, vel rei adnexæ rei sacræ, pro pretio temporali. Est autem hoc vitium contra Religionem: quia rei sacræ, & supernaturales indignè tractantur, si pretio temporali commutentur. Est etiam contra iustitiam, saltem in multis: vt cum venditur id, quod alioqui ex iustitia debebatur gratis: vt si Parochus vendat confessionem, &c. Secundò, cum res venditur pluris propter
 con-

consecrationem, ut calix: illud enim plus est contra iustitiam. Tertio, cum præcisè accipitur pretium propter spiritualitatem.

2. Sub nomine rei sacræ, præsertim comprehenduntur res supernaturales spirituales: ut gratia sacramentorum, & eorum actus. Sub nomine rei adnexæ spirituali intelliguntur vasa sacra, ut vestes, & alia temporalia bona, quæ per accidens habent adnexam consecrationem, & hæc non possunt vendi ratione consecrationis adnexæ, licet possint vendi ratione materiæ ex se vendibilis. Item quando non potest vendi res temporalis, nisi simul vendatur res spiritualis, tunc non potest, & ipsa vendi.

3. Simonia triplex est. Realis, Mentalis, & Conventionalis: ad quas reducitur Simonia Confidentialis, & Ficta. Realis est, cum re ipsa exhibetur pecunia pro re spirituali, quasi actu vendita, & tradita. Conventionalis est, cum convenitur de pecunia, & venditione, sed adhuc non est securus effectus. Mentalis est, non quidem nudum propositum committendi Simoniam, sed vera tradi-

tio alicuius rei temporalis in pretiū pro
re spirituali, sed sine pacto, aut conven-
tione explicita, sed solum mente conce-
pta. Confidentialis est simonia, quæ spe-
ciatim committitur in collationibus,
aut resignationibus beneficiorum: cum
scilicet confertur beneficium cum con-
fidentia, vel quod resignandum sit alte-
ri, vel collatori, vel eius fructus, aut ali-
qua pars. Et hæc simonia potest esse rea-
lis, conventionalis, & mentalis. Ficta si-
monia est, cum fictè fit conventio, &
non animo exequendi.

4 Pretium simoniacum, & illicitum
rectè dicitur contineri illis tribus voca-
bulis, nempe, munus à manu, munus à
lingua, & munus ab obsequio. Per mu-
nus à manu intelligitur pecunia, aut
quoduis bonum temporale pertinens ad
bona fortune. Per munus à lingua intel-
liguntur preces, laudes, adulationes, &c.
quæ si accipiuntur in pretium, & maxi-
mè si cum aliquo pacto præcedant; erit
simonia conferre spirituale pro illis: sin-
minus, non erit. Per munus ab obse-
quio, intelligitur omne servitium tem-
porale, quod exhiberi potest in gratiam
O alte-

sterius, & signa etiam honoris, &c. quæ sint loco pretij, & maximè si fiant ex pacto, erit simonia; si minus non erit.

5 Simonia alia est, & ut plurimum contra ius diuinum naturale, alia contra ius canonicum, quando Ecclesia prohibet sumi pretium pro aliqua functione, propter connexionem cum aliqua re sacra, cum tamen illa functio ex se esset vendibilis. Ut in *Concil. Trident. sess. 24. cap. 18. de Refor.* prohibetur sub peccato simoniæ, si examinatores ad beneficia aliquid accipiāt pro examine, & similia præsertim in materia de beneficijs. Leg. potest *Suar. de Simonia tom. 1. de Relig. lib. 4. c. 7. & c. 24.*

6 Non est simonia accipere eleëmofynam ad sustentationem pro ministrandis Sacramentis, ratione laboris, & necessitatis.

7 Pœnæ illatæ in iure contra simoniacos non incurruuntur regulariter, nisi propter simoniam realem. Et quidem per simoniam commissam in Ordinis receptione, in beneficio, & in ingressu Religionis; incurritur excommunicatio

tio maior, Papæ reservata: & similiter suspensio ab Ordine, si simoniacè sit ordinatus. Agunt præterea de simonia *Filiuc. tom. 3. tract. 45. Tolet. lib. 5. cap. 84.*

DE CENSURIS, ET primò de Excommunicatione.

1 **C**ensura est pœna Ecclesiastica spiritualis, priuans hominem his, vel illis bonis spiritualibus Ecclesiæ, Est autem triplex: Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum.

2 Excommunicatio est censura Ecclesiastica, priuans hominem baptizatū bonis communibus Ecclesiæ: omnibus, si sit excommunicatio maior: vel aliquibus, si sit excommunicatio minor.

3 Minor excommunicatio priuat solum participatione passiva Sacramentorum, & electione passiva ad beneficiū: & incurritur solum per participationem, seu communicationem prohibitam, & deliberatam cum excommunicato excommunicatione maiori: non quidem quocumque, sed qui fuerit publicè denunciatus, vt talis: vel fuerit publicus percussor